



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XLIV. Vtrum infidelitas sit peccatum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

3. In animo bene disposito eundem retinent ordinem res omnes, quem habent in seipsis, ut docet Philosophus quoad intellectum; animus autem hominis est optime dispositus per Charitatem, nec potest inordinate affici, aut operari dum operatur per ipsam, & sequitur eius inclinationem. Ergo operans ex Charitate necessario operatur, & afficitur ad res omnes iuxta bonitatem ipsarum secundum se.

Art. 1. Resp. Ordo Charitatis, qui ipsi conuenit auctore Deo, iuxta illud Cant. 2. 4. *Ordinavit in me Charitatem*, totus ad hæc tria capita reuocatur. Primo ut Deus super omnia diligatur, eisdem subiiciendo omnes potentias, & vires animæ, omnesque inclinationes, ut præscribitur Deuter. 6. 5. expositum est supra & q. 4.

Art. 2. Deinde, ut unusquisque se, & suam beatitudinem amet super cætera creata. Quia unusquisque est effectus diuinæ voluntatis, quatenus amantis ipsum, eaque actione potissimum intendens bonum ipsum, eundemque ordinantis in propriam beatitudinem. Et insuper habitus Charitatis est donum essentialiter collatum affectu amabili, ac proinde destinatum specialiter ad utilitatem propriam accipientis, ut liquet ex eadem q. 39. Vnde habens Charitatem, non potest conformari diuinæ voluntati, ac proinde nec satisfacere intentioni, quam supra dictum est esse simpliciter primam, ac principalem Charitatis, nisi se primo, ac potissimum, atque maximo affectus pondere supra cætera creata impendat bono suo in ordine ad propriam beatitudinis consecutionem.

Art. 3. Tertio denique ordo Charitatis consequenter postulat, ut inter fines quibus præferantur ab vnoquoque coniunctiones sibi, quoad ea, quæ vnamquamque coniunctionem concernunt, & ex æquæ coniunctis similiter præferantur ij, quorum coniunctio est præstantior ex parte ipsorum. Ac deinde qui sunt secundum se, & respectu Dei meliores. Inter fines autem quæ sunt præferenda, quæ magis coniungunt cum ultimo fine, quæque ad eius consecutionem magis conferunt. Nempe in quolibet genere propinquiora primo sunt priora sub eadem ratione. Dictum autem est, vnumquemque sibi esse primum post Deum, & inter fines qui, esse itidem primam beatitudinem. Ordo igitur Charitatis incipit in vnoquoque à seipso post Deum, & ad cætera progreditur secundum habitudinem, & coniunctionem ipsis conuenientem respectu sui, & consequenter non est conformis ordini bonitatis rerum secundum se, nisi quoad ea, quæ respectu cuiusque æqualiter se habent modo explicato.


Ad 1. Ad perfectionem amicitiae, & Charitatis cum Deo sufficit conformitas cum eius voluntate, quæ dicitur signi, idque quoad volutatem formale; hoc est sufficit conformitas cum voluntate diuinæ quatenus præcipiente, aut consulente nobis aliquid, & in ordine ad finem nobis præscriptum. Constat autem Deum vnicuique præcipere, ac consulere, quæ conferunt ad cuiusque beatitudinem, & quatenus ad eam conferunt. Non autem res omnes habent eundem conuenientiam gradum respectu finis, prout ab vnoquoque querendi, & obtinendi, quem bonitatis gradum habent secundum se præcisè considerata. Ergo ut homo satisfaciatur conformitati ad quam tenetur, cum voluntate diuinæ, non debet ordinate suos affectus omnes, & quoad omnia secundum gradum bonitatis conuenientis rebus secundum se, sed secundum gradum bonitatis conuenientis relatè ad vnumquemque, & ad propriam cuiusque beatitudinem. Atque Philosophus amicos dicit esse conformes in volendo quoad communem felicitatem. Qua additione confirmatur, quæ dicta sunt.

Ad 2. Motium Charitatis est summum bonum, cuius tota inclinatio, & exigentia est voluntas diuinæ, ac proinde explicato ordine Charitatis relatè ad voluntatem diuinam, uti modo explicatus est, non est

R. P. de Esparza Conf. Theol. Tom. I.

opus explicatione alia ordinis conuenientis Charitati ex natura, & exigentia sui motiui.

Ad 3. Non potest rebus conuenire alius veritatis gradus relatè ad aliquem intellectum, aut intelligentem, quam conueniat eidem secundum se. Quia veritas cuiusvis intellectus consistit in conformitate cum intellectis. At bonitas, & amabilitas respectu vniuscuiusque potest esse diuersa à gradu bonitatis conuenientis rebus secundum se. Contingit enim vnum atque idem bonum esse conueniens vni, simulque disconueniens alteri; & conuenientius vni, quam alteri. Ergo non est eadem necessitas conformitatis inter voluntatem, & bonitatem conuenientem rebus secundum se, quæ est conformitatis inter intellectum, & res intellectas secundum se, utcumque animus volentis sit optime dispositus.



Incipit quinta pars

De vitiis oppositis Fidei, Spei, & Charitati.

DE his vitiis in genere constat satis ex dictis in parte prima circa virtutes contrarias. Dicitur ergo de illis tantum in specie eodem ordine, quo de Virtutibus.

QVÆSTIO XLIV.

Virum infidelitas sit peccatum?

MIBETUR non esse peccatum. 1. Quia peccatum ex suo conceptu est contra naturam, ut tradit Damasc. lib. 2. Fidei Orthod. cap. 4. & 30. Infidelitas autem non est contra naturam. Quia Fides, cui opponitur infidelitas, non est conformis naturæ sed est supra naturam, & spectat ad gratiam Dei superadditam naturæ, dicente Augustino lib. 1. de Prædest. Sanct. cap. 5. versus finem. *Posse habere fidem, sicut posse habere charitatem, natura est hominum. Habere autem fidem quæ, nammodum habere charitatem gratia est fidelium.* Ergo infidelitas non est peccatum.

2. Infidelitas inest pluribus inuitabiliter. Quia fides, qua sola potest excludi infidelitas, pluribus est impossibilis. Iis nimirum omnibus, quibus nunquam prædicatum est Euangelium. *Quomodo enim credent ei, quem non audierunt?* ut dicit Apostolus ad Rom. 10. 14. Est autem de conceptu peccati, ut sit vitabile. Quia est de conceptu eius, ut sit voluntarium, & liberum. Ergo non est vniuersaliter de conceptu infidelitatis, ut sit peccatum.

3. Omne peccatum reducitur ad aliquod ex septem vitiis capitalibus, ut tradit D. Thom. 1. 2. q. 84. art. 4. eaque de causa ibidem ex doctrina Gregorij lib. 3. 1. Moral. cap. 3. 1. dicuntur vitia capitalia, inanis gloria, inuidia, ira, auaritia, tristitia, gula, & luxuria. Infidelitas autem ad nullum ex his vitiis reducitur, ut colligitur; tum ex Gregorio ibidem enumerante omnia vitia secundaria, quæ ad singula ex dictis septem capitibus subsequuntur, quin tamen infidelitatis vlli bi meminerit; tum quia nullius ex iisdem vitiis motium est oppositum motiui fidei. Quinimo omnia ea vitia etiam in summo gradu sunt composibilia cum fide, ut apparebit à fortiori ex dicendis quæst. 2.

4. Nullum datur præceptum de fide. Ergo nullum peccatum est infidelitas. Patet consequentia ex Apostolo ad Rom. 4. 15. *Vbi enim non est lex, neque præuaricatio.* Probatur antecedens. Quia de fide nullum fuit præceptum in lege veteri, ut tradit D. Thom. q. 16. ar. 1. & probat, quia fides in primis de existentia Dei non potest præcipi. Antequam enim feratur lex, habetque

E E e

beaturque

beatque vim obligandi, necesse est, ut præsupponatur subiectio subditorum respectu legislatoris, atque agnitio iudiciarie in eo potestatis. Subiectio autem hominum ad Deum, atque agnitio huius subiectionis fit primitus per fidem existentiae Dei. Qua de causa, Exod. 20. 2. & 5. ante promulgationem legis, & præceptorum præfertur semel, atque iterum: *Ego sum Dominus Deus tuus*; & 11. ad Hebr. 7. dicitur: *Credere oportet accedentem ad Deum* (nempe per subiectionem ad ipsum) *quia est*. Fides igitur de existentia Dei non cadit sub præceptum, sed ex sua natura præsupponitur ad omne præceptum. Alia autem secretiora, ideoque & difficiliora, & amabiliora mysteria fidei non erant exponenda populo sub veteri lege, ut ponit ibidem D. Thom. Nullum igitur existit præceptum de fide in veteri lege. Atqui in lege gratiæ non sunt plura, sed multo pauciora præcepta, quam in lege veteri. Ergo neque nunc extat ullum præceptum de fide.

5. Si quod daretur præceptum de actu fidei, esset utique affirmativum, ut patet, ideoque non obligaret pro semper. Nulla autem assignari potest ratio peculiaris, ob quam hæc obligatio urgeat pro vno aliquo tempore determinatè potius, quam pro quolibet alio. Pro nulla igitur determinata temporis differentia obligamur ad actum fidei. Nullum autem est præceptum, ex quo nulla unquam resultat obligatio pro vilo tempore determinato. Simile argumentum conficitur ex parte materiæ. Nulla namque est obligatio credendi omnia, & singula, quæ Deus reuelavit in sacris litteris, & per traditionem, nec est ullus, qui ea omnia, & singula cognoscat per fidem. Nulla autem est specialis ratio obligationis circa aliquod potius, quam circa quodlibet aliud reuelatum; quandoquidem auctoritas diuina, & dignitas reuerentiæ ipsi debita æquè inest omnibus à Deo reuelatis. Ad nihil igitur credendum obligamur sub præcepto.

6. Imprudentia non est peccatum. Ergo ne infidelitas. Patet antecedens. Quia nemo vult, aut liberè eligit esse imprudens. Nemo verò peccat, nisi volens, & ex libera electione. Patet item consequentia. Quia infidelitas est quædam species imprudentiæ, & quidem maxima, ideoque minus eligibilis, sicut ipsa fides est prudentia supernaturalis, & perfectissima, ideoque maximè eligibilis. Simile argumentum ducitur ex stultitia cuius vitanda nulla est obligatio. Nemini enim præcipitur ne sit stultus. Quod nimirum malum quicumque patitur, inuitus, & contra naturale, ac necessarium desiderium sapientiæ. Infidelitas autem est stultitia quædam opposita sapientiæ supernaturali, quæ habetur per fidem.

7. Omne peccatum est punibile, non solum in futuro à Deo, sed etiam ab homine in præsentia. Foret enim contra rectitudinem, & perfectionem providentiæ Dei, si pessimum hominum genus, quale est, quod minime omnium cogitat de æternis, seu præmiis, seu suppliciis, posset solutum formidine pænæ etiam temporalis, ac præsentaneæ peccare effreniter in aliqua materia. Infidelitas autem est impunitibilis à homine. Quia iurisdictio Ecclesiastica non extenditur ad infideles iuxta illud 1. ad Corinth. 5. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt indicare? nam eos, qui foris sunt, Deus indicabit*. Quo testimonio probat Concil. Trid. sess. 14. c. 2. *Quod Ecclesia in neminem iudicium exercet, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus*. Potestas autem secularis non iudicat de iis, quæ pertinent ad fidem, & religionem supernaturalem, cum sit potestas purè naturalis, & ordinata ad solam pacem, & felicitatem temporalem reipublicæ, quæ sine fide dari potest. Nulla igitur humana potestate est punibilis infidelitas, ac proinde non est peccatū.

Accedit, infidelitatem, si est peccaminosa, esse peccatum omnium maximum. Quia dirigit à fundamentis

totum ædificium spirituale, cum non nisi singula eius partes per singula alia peccata deperdantur. Foret igitur longè maior punibilitas infidelitatis, maioremque necessitas potestatis humanæ ad punitionem eius, quam ullius alterius peccati, si ipsa esset peccaminosa.

Accedit rursus, idololatrias, aliisque videntes ritibus repugnantibus rationi naturali posse, ac debere puniri à suis Principibus, ut fert communis sententia Theologorum, & praxis Principum. Cum ergo infidelitas non sit similiter punibilis ab eisdem, patet errores contrarios fidei non esse peccata, sicut sunt errores contrarij rationi naturali.

8. Infidelitas, nec ante, nec post sufficientem revelationem diuinarum propositionum peccaminosa esse potest. Non ante, quia pro tunc est impossibilis actus credendi, ut per se patet, cum sufficiens propositio edicatur, vi cuius credi potest, & sine qua credi non potest. Nec post, quia pro tunc non est amplius possibilis dissensus, aut omissio assensus. Nempe propositio credendorum non censetur sufficiens, quousque euidenter innotescat esse verisimilis, & credibilis, quod proponitur, quam oppositum, atque intellectus fertur necessariò ad maiorem apparentiam veritatis, quæ est centrum ipsius. Eò vel maximè, quia omnes, vel certè plerique audientes prædicationem Evangelij, eam excipiunt præuerti desiderio efficaci innuenda, & colenda veritatis, cuius amor insatiabilis inest homini inuitabiliter, atque cum eo desiderio, & amore est impossibilis desertio eius partis, quam fouet maior euidentis apparentia veritatis, sicut est impossibilis, cum desiderio, & amore efficaci salutis corporalis, contemptus remedij probabilius ipsam inducendi.

9. Omnes naturaliter erubescunt de peccatis, eoque celant, & negant, quantum possunt. Infideles autè gloriantur potius de norma religionis, quam quicquam profitetur aduersus fidem Catholicam, atque nobis improbrant iactabundi adorationem hominis crucifixi, seruitutem Pontificiam, cultum Dei naturaliter vniu, & personaliter multiplicis, peccatum paruulorum nondum habentium vsum rationis, quod māducemus hominem Deum, & similia. Ergo infidelitas non est peccatum. Nempe cui deest proprietas necessario consequens ad aliquod genus; nequit sub eo genere comprehendendi. Cuiusmodi argumento vtitur Tertullianus Apolog. c. 1. versus finem, ut probet professioni Christianæ religionis nihil mali inesse, assumens: *quod verè malum est, ne ipsi quidem, quos rapit, defendere pro bono vident; & concludens: Quid hoc mali est, quod naturam mali non habet? timorem, pudorem, terrorem, suauitatem, patientiam, & plorationem.*

10. Neque is peccat, qui non credit aliquid esse dictum à Deo, neque qui credit, aliquid esse dictum à Deo, potest deinde peccare negando, aut non credendo id esse verum. Imprimis enim qui non credit, aliquid esse dictum ab aliquo, nullam illi iniuriam irrogatum quia loquens non interponit suam auctoritatem pro veritate existentiae locutionis suæ, sed solum pro veritate rei, quam dicit: tum quia quod non percipitur, seu non audiat, atque ignoretur locutio, soli tribuitur loquenti, nec unquam vitio vertitur, ad quem dirigitur sermo. Impossibile autem est quod ad alteram partem assumpti pertinet, ut quis dissentiat iis, quæ dicuntur, aut vt eadem reuocet in dubium, postquam sibi innotuit illa dici à Deo, cum sit euidentis vera esse, quæcunque dicuntur à Deo. Qua de causa quicumque negant mysteria nostræ fidei, simul negant, ea dici, ac doceri à Deo, neque est, qui audeat dicere, illa esse reuelata à Deo, & nihilominus esse falsa. Ergo infidelitas in nullo euentu potest habere rationem peccati, siquidem in nullo potest esse voluntaria, ac libera.

Art. 1. Respondetur. Infidelitas purè negatiua, seu

quæ consequitur ad totalem credendi impotentiam proximam adeoque inest alicui inuitabiliter, & absque propria libera electione, seu omissione, non est carere peccatum, vt per se patet, sed est tantum poena peccati; sicut defectus, seu negatio inuoluntaria aliorum etiam donorum supernaturalium pertinentium ad statum iustitiæ, & amicitiæ cum Deo. Ceterum infidelitas, quæ est libera ipsi infideli per contrarietatem ad fidem; & cum contradictione, ac renitentia respectu motiuorum proximè sufficientium ad volendum credere Deo, vsque adeo est peccatum, idque lethale, & grauissimum, vt nomine peccati absolute prolato ipsa nonnunquam subintelligatur determinate per antonomasiam, vt obseruat August. tract. 89. in Ioannem initio, & magis ex professo lib. 3. contra duas epist. Pelag. c. 3. itidem initio, & probat ex illo Ioannis 15. 22. *Si non venissem, & locutus fuisset eis, peccatum non haberent*, nempe infidelitatem; clarius verò ex illo eiusdem Ioan. 16. 8. *Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato*, nempe de infidelitate. Subiungitur enim: *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*. Et sanè infidelitatem istam, per quam liberè reicitur fides esse peccatum ex genere suo lethale, liquidò apparet ex verbis Christi Ioan. 3. 18. *Qui autem non credit, iam iudicatus est. Quia non credit in nomine Vniuersi Filij Dei*. Et Marc. ult. 16. *Qui verò non crediderit, condemnabitur*. Idem patet primò ex necessitate fidei. Quia fides tum habitualis, tum etiam actualis est necessaria ad vitam æternam necessitate mediæ, vt dictum est supra q. 28. Qui autem liberè omittit aliquid ita necessarium, eo ipso grauiter peccat, vt apparet ex q. 20. de act. hum. initio. Patet rursus ex multiplici præcepto de fide; tum contento implicitè in comminationibus æternæ damnationis modo prælatis aduersus incredulos: tum explicitè præsertim 1. Ioan. 3. 23. *Et hoc est mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius Iesu Christi*. Quod spectat ad legem gratiæ. Et Eccli. 2. 9. & 8. *Credo Deo. Qui timet Dominum, credite illi*. Quod veteri etiam legi commune est.

Art. 2. Præceptum istud obligat dupliciter. Primò indirectè propter necessitatem ipsius fidei ad alios actus, præsertim spei, & Charitatis, qui sunt sub præcepto. Atque ex hoc capite obligamur, non solum ad non contemnendam motiuam credendi Deo, & ad non negligendam eorum notitiam, sed etiam ad eliciendos actus fidei, quales, & quoties sunt necessarii ad illos alios actus salutares, quorum eliciendorum vterit obligatio. Verum de hac obligatione alij sunt agendi loci. Altera obligatio credendi Deo pertinet directè, ac immediatè ad ipsam fidem secundum se, & fundatur in honestate subiiciendi mentem Deo, atque postponendi directioni, & authoritati diuinæ rationes omnes humanas, omnemque creatam directionem, & authoritatem, iuxta illud 2. ad Cor. 10. 5. *Et in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*. Atque ex hoc capite confurgit primò, & principaliter obligatio; tum non repugnandi auditui fidei, seu non impediendi, nec prætermittendi perceptionem doctrinæ diuinæ, atque notitiam diuinæ reuelationis; tum non contemnendi eandem fidem, seu non postponendi authoritatem Dei loquentis vlli humane, aut rationi, aut authoritati, dissentiendo, vel non assentiendo iis, quæ dicuntur à Deo, aut de iisdem dubitando, ac formidando propter adhesionem ad aliquam aliam authoritatem, vel rationem, postquam sufficienter innotuit Deum loqui. Vtrumque nimirum hoc pertinet ad infidelitatem, & ad peccatum aduersus præceptum de fide secundum se, vt quis claudat oculos, & aures, ne videat, ac percipiat verbum Dei, vel induret cor, ne adhareat totaliter eidem verbo Dei, postquam sufficienter innotuit, Deum loqui, prout apparet ex verbis Ioan. 12. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum*

dicit Isaias (6. 19.) Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & non intelligant corde. Et de vtrius verificatur, quod dicit Apostolus ad Rom. 10. 16. *Sed non omnes obedimus Evangelio*. Pertinet nimirum ad subordinationem subditorum respectu Principis, vt cum primò obseruauerint aliquod indicium eius alloquentis ipsos, diligenter inquirent, an verè alloquatur; & siquidem constiterit alloqui, vt excipiant verbum eius cum submissione, quæ decet subditos erga suum principem; & neutrum, nisi vitiosè, & cum iusta Principis offensione prætermitti potest.

Art. 3. Hinc apparet, præceptum de fide qua creditur Deo, consequi ex natura rei necessariò ad eleuationem hominis in statum supernaturalem, & ad realem existentiam diuinæ reuelationis, vt tradit Suarez disp. 13. sect. 1. n. 5. ex D. Th. q. 10. a. 1. ad 1. dicente: *Habere fidem non est in natura humana; in natura tamen humana est, vt mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exteriori veritatis predicationi*. Quapropter obligatio credendi Deo est iuris diuini naturalis ex suppositione eleuationis, atque infidelitas est peccatum eisdem iuri còtrarium. Quod apparet præterea ex verbis Christi Ioan. 12. 48. *Qui spernit me, & non accipit verba mea, habet, qui iudicat eum. Sermo, quem loquutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die*. Quia videlicet sermo Dei habet in se inclusam ex ipsa natura rei legem, qua iudicetur, qui contemnit eum, seu non accipit.

Art. 4. Incipit autem obligare hoc præceptum, tum ad indagandum, an Deus loquatur, tum ad credendum Deum loqui, & verum esse, quod dicit; cum primò innotescit, vel indicium aliquod remotum, vel argumentum proximæ credibilitatis, de Deo loquente, præminens omnibus, & indicis, & argumentis in contrarium. Requirit enim, & sufficere ad inducendam vtramlibet respectiue obligationem aliquod, seu indicium, seu argumentum ita præminens, & efficaciter colligitur ex verbis Christi Domini Ioan. 15. 24. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nempe infidelitatis, & odij ex ea suboriri*. Similiter cap. 12. eiusdem Ioannis præmissa exhortatione ad fidem vers. 35. *Ambulate, dum lucem habetis, vt non vos tenebra comprehendant*, exprobratur deinde vers. 37. infidelitas, tanquam peccatum inexcusabile propter signorum interpositionem. Signorum vtiq; quæ nulla vi purè humane indici potuerunt: *Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eum*. Eadem autem est ratio de necessitate, & sufficientia indicij remoti similiter præminens, vt negligentia indagandi verbum Dei euadat peccaminosa; atque de necessitate, & sufficientia eiusdem præminentiæ in signis, & operibus, seu in fundamento inducente ad volendum credere, vt nolito, & contemptus credendi imputetur ad culpam.

Art. 5. Suadetur efficaciter vtraque pars de necessitate, & de sufficientia. Quia cum auctoritas, & doctrina diuina præponatur per fidem infusam omni rationi, & auctoritati purè humane, atque notitia loquutionis, directionis, & doctrinæ diuinæ debeat similiter quærì præ notitia cuiuslibet alterius doctrinæ, & directionis; necesse profectò est, vt præfulgeat aliquid proportionaliter præminens, ad inducendam obligationem inuestigandi primum, ac deinde assentiendi cum eo prælationis modo. E conuerso autem, notificato ià clarè aliquo eiusmodi, aut indicio remoto, aut fundamento proximo præminenti, quod Deus loquatur, velitque docere hominè, ac dirigere in vitam æternam; erit eo ipso coniuncta cum còtemptu Dei, & vitæ æternæ, tum negligentia inuestigandi, quæ Deus dicit, & an dicat, tum deinde renitentia illis assentiendi, necnon fluctuatio in ipso assensu; ac proinde vtramlibet erit grauissimè peccaminosa. Audito autem

verbo Dei, atque recte intellectum in captiuitatem obsequiosam respectu Dei loquentis, ac docentis, ex ipsa eius auditione innoscet, quousque debeat extendi, tum inquisitio, tum assensus explicitus eorum, quae reuelantur à Deo. Ea nimirum omnis, & circa omnia, adhibenda erit, & diligentia, & fides, quam, & circa quae exegerit Deus, cuius manu ductioni, supponitur iam, subordinatus intellectus audientis. Quales porro sint de facto limites huiusmodi, & extensio credendorum respectu vniuscuiusque, sufficienter apparet ex dictis supra circa necessitatem fidei quæst. 28. Atque hæc procedunt de actu interiori fidei, cuius expositio intenditur præcipue.

Art. 6. Superest explicandum consequenter peccatum infidelitatis externæ aduersus præceptum de exteriori confessione veræ fidei. Istud præceptum continetur in illis verbis Christi Domini Matth. 10. 33. *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo, & ego eum coram Patre meo.* Et Marci 9. 26. *Nam qui erubuerit me, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, & cum venerit in maiestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum.* Vnde Paulus 2. ad Timoth. 2. 12. *Si negauerimus eum, ait, & ipse negabit nos.* Præceptum hæc de confessione exteriori fidei, & de vitanda eius negatione, cui infidelitate exteriori consequitur ex natura ipsa rei ad existentiam diuinæ reuelationis, sicut dictum est de fide, & infidelitate interiori, estque intrinsece mala negatio exterior fidei, ita ut nulla spe bonorum temporalium, nulloque malorum temporalium metu excusari possit, seu honestari. Ratio est, quia homo, sicut cætera creata, factus est propter Deum, & est ordinatus ad glorificationem Dei, cui manifestè contradicit, quicumque exterius contradicit authoritati diuinæ, eandemque contemnit, negando, seu verbo, seu opere, quæ dicit Deus. Est verò manifestè malus, quicumque deficit à fine suo, quomodocumque, & quacumque de causa contingat ab eo deficere. Itaque infidelitas exterior est speciale peccatum distinctum ab infidelitate interiori, potestque committi retenta etiam interiùs vera fide.

Art. 7. Duobus porro modis committitur peccatum infidelitatis, tum interioris, tum exterioris. Primo indirectè, & materialiter. Secundo directè, & formaliter. Quæ peccatorum distinctio contra vnamquamque virtutem exposita est à me vniuersaliter ex Philosopho & D. Thoma q. 12. de iustitia. Peccatum infidelitatis indirectè, & materialiter talis, est negligentia, & contemptus authoritatis diuinæ ex solo motiuo alterius vitij, ex. gr. ex motiuo concupiscentiæ, quatenus fides catholica illi vel maxime contradicit, ex motiuo perturbandi Rempublicam, & rebellandi aduersus legitimum Principem, quatenus eadem fides Catholica specialiter fouet mutuam ciuium pacem, & tranquillitatem, atque eorundem subordinationem, & obedientiam erga Principem legitimum, ex motiuo auaritiæ, quatenus ex norma religionis Catholicæ pars non exigua bonorum temporalium cedit personis Ecclesiasticis, quæ proinde possunt, subinducta infidelitate, ad sæculares facile traduci; & sic de aliis quibuscumque vitij. Cum enim fides Catholica bellum indicat implacabile omnibus, & singulis vitij, motiuum formale speciale cuiuscumque vitij, tum se solo, tum coniunctum cum motiuis quorumlibet aliorum vitiorum inuicem, quantum est ex se, compossibile, potest inducere, ac præcipitare indirectè in infidelitatis peccatum. Quia vero species, & bonitas physica cuiusque actus, & habitus prouenit ex solo motiuo formali; dicendum consequenter est, infidelitatem indirectè tantum, & materialiter talem in nulla determinata specie reponi posse, nullamque vnam definitionem vniuersalem habere quoad entitatem suam physicam, seu quoad materiale peccati in-

fidelitatis. Verum hoc est aliis quoque vitij, & peccatis proportionaliter commune, uti manifestatum est loco indicato. Dimissa itaque huiusmodi consideratione.

Art. 8. Peccatum infidelitatis directè, & formaliter talis est negligentia, & contemptus authoritatis diuinæ, ex motiuo directè, & formaliter contrario rationi formali mouenti ad actum piæ affectionis, quo determinatur intellectus ad obsequendum authoritati diuinæ supra omnem rationem, & authoritatem creaturam. Quapropter, cum motiuum formale speciale piæ affectionis sit subordinatio intellectus creati ad directionem, & authoritatem, seu magisterium diuinum, cum postpositione omnis rationis, & authoritatis creatæ ad ipsum, atque peculiaris honestatis fidei desumatur formaliter ex honestate eiusmodi subordinationis, & postpositionis: Consequenter motiuum formale speciale actus voluntatis imperantis infidelitatem intellectualem est exemptio intellectus proprii à subiectione ad Deum, seu à directione, & magisterio immediato Dei, cum prælatione rationis naturalis, aut authoritatis creatæ supra illud; atque peculiaris inhonestas, & malitia infidelitatis desumitur formaliter ex inhonestate, ac turpitudine obiectiua eiusmodi exemptionis, ac prælationis. Discrimen illud infidelitatis directè, & indirectè, mediâtè, & immediâtè talis, apparebit clariùs in decursu per consequentias, quæ vtrinque specialiter deriuantur.

Art. 9. Interim infidelitas ut sic, prout vtramque eâ differentiâ sub se cõplectitur, definiri potest, ad illat definitionis Apostoli circa fidem; *Speranda non eximatio rerum, & incertitudo non apparentium.* Dici etiam potest infidelitas; *Temporalium substantiarum, & intellectualis prælatio apparentium.* Diuidendo autè actum voluntatis, & actum intellectus, pertinentes ad infidelitatem, definiri possunt; actus quidem voluntatis oppositus actui piæ affectionis: *Nimius amor excellentiæ naturalis intellectus creati, cum contemptu directionis, & authoritatis diuinæ;* actus vero intellectus oppositus assensui fidei: *Dissensus diuinæ reuelationis.* Quæ definitiones poterunt manifestius percipi, si relegatur supra q. 30. Eadem autem infidelitas, formaliter quatenus peccaminosa est, & pertinet primario ad voluntatem, definiri potest: *Contemptus liber diuinæ reuelationis.* Ex his itaque omnibus sufficienter apparet, infidelitatem esse peccatum, & quale peccatum sit.

Ad 1. Cum sit homini connaturale, ut reueretur Deum, eidemque subordinetur quoad omnia ipsius prædicata sibi nota; connaturale utique est, ut reueretur Deum etiam, ut reuelantem, eidemque subordinetur ex suppositione, quod sibi sufficienter innoscatur diuina reuelatio, siue inchoatiue, siue completè iuxta expositionem superius præmissam art. 3. & 4. Atque oppositum est contra naturam facta ea suppositione, tametsi eadem suppositio connaturalis minime sit.

Ad 2. Dictum iam est, infidelitatem purè negatiuam, seu coniunctam cum ignorantia inuincibili diuinæ reuelationis, non esse eatenus peccatum. Verum quia omnes aduti, & iam compotes rationis, saltem ut plurimum præueniuntur de facto à Deo gratia, & illustratione mentis sufficienti absolute ad credendum, si per ipsos non steterit, ut dictum est supra quæst. 28. ad 1. ceteri vero carent habitu fidei in penam peccati originalis, atque priuatio eiusdem habitus addita priuationi gratiæ pertinet ad complementum integrale contractionis, & perseverantiæ eiusdem peccati; propterea infidelitas merito dicitur absolute, & vniuersaliter peccatum.

Art. 1. Ad 3. Actus voluntatis, quo delinquitur directè, & formaliter aduersus fidem, quique opponitur actui piæ affectionis, & constituit intrinsece peccatum infidelitatis formaliter talis, reducit ad superbiam,

biam, ut apparet ex declaratione eius infidelitatis præmissa art. 8. Quia formaliter infidelis arrogat nimium sibi, sui que intellectus præstantia, & sufficientia naturali, cum neglectu directionis, & auctoritatis diuinæ, necnon propositionis, per quam, mediantibus Ecclesia, & Sanctis PP. sufficienter, ac legitime illa proponitur. Qua de causa Gregorius in illo ipso capite docet, ex inani gloria oriri nouitatum, nempe contrariarum fidei, præsumptiones. Eodem pertinet, quod dicitur Ioan. 12. 43. de infidelitate Pharisæorum: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis, quam gloriam Dei*, quanquam ibi agatur præcipue de infidelitate exteriori. At infidelitas materialis in communi, & secundum suum conceptum vniuersalem, ad nullum vnum vitium capitale determinatè traducitur propter rationem determinatam art. 7. Quia verò infidelitas, ut plurimum irrepit indirectè ex motiuo alterius vitij, ac proinde ut plurimum est materialiter tantum talis, propterea, dum de ea agitur in communi, non agitur communiter de reductione eius ad determinatum aliquod vitium capitale.

Art. 2. Cæterum necesse est, vnamquamlibet infidelitatem reduci determinatè ad aliquod vitium capitale; tamen si fides, sicut & spes, & charitas ad nullam virtutem Cardinalem reducatur. Ratio discriminis est. Quia virtutes Theologicæ transcendunt omne motiuum creatum, quale necessariò est motiuum virtutum omnium, quæ Cardinales communiter nuncupantur. At motiuum infidelitatis qualiscunque ea sit, necessariò est aliquid creatum ex se inhonestum. Nihil autem tale est, quod non pertineat saltem reduci ad aliquod vitium capitale. Videtur nihilominus non omninò assentiri huic discrimini Diuus Thom. in illo art. 1. ad 3.

Ad 4. Apparuit iam supra art. 3. omni tempore viguisse ex natura ipsa rei legem obligantem ad fidem. Quapropter intentio D. Thomæ negantis præceptum de fide in veteri lege, solum est negare, præceptum de fide fuisse proprium, & peculiare veteris legis, ita ut primum inceptum cum ipsa. Nempe pro illo etiam tempore agnoscit præceptum de fide circa aliqua credibilia in illo eodem articulo ad 5. Præterea quæst. 2. art. 2. necnon art. 8. ad 1. docet distinctè, omni tempore, & omnes homines fuisse obligatos ad fidem de existentia Dei. Sed neque in Exodo præfaretur Deus ante legem, se esse Dominum Deum, si id liceret, ipso etiam dicente, negare, aut non credere, atque in dubium reuocare. Solum itaque asseritur, & probatur ibi optimè à D. Thoma cognitionem de existentia Dei, sub aliquo tandem conceptu, esse necessariam ante omnem fidem, omnemque obligationem credendi, solumque negatur, conueniens fuisse, ut populo sub veteri lege reuelarentur secretiora mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c. Quorum neutrum quidquam nocet obligationi absolutæ credendi ante legem, tempore legis, & post legem.

Ad 5. Patet, quoad vtramque eius partem, ex dictis supra art. 3. & 4. Ad 6. Imprudentia alia consequitur necessariò ex indispositione individuali, ac permanenti organo phantasiæ, & æstimationis, à qua dependet primum consultiatio, ac deinde determinatio intellectualis. Atque hæc imprudentia inest per modum puræ negationis, nec est peccatum, & correspondet infidelitati puræ negatiuæ, quam etiam ipsam, dictum est, non esse peccaminosam. Alia imprudentia est voluntaria, & libera, proueniens ex inconsideratione, & præcipitantia in operando, ex negligentia meditationis æternorum, ex immersione animi in delectationibus sensuum præferti tactus, quæ maximè omnium mentem, & rationem superiorem absorbent, atque bona omnia spiritualia faciunt apparere, quasi paruū quid, & contemptibile, immò

R. P. de Esparza Curs. Theol. Tom. I.

quasi fictum, pureque imaginarium, iuxta illud Proverb. 21. 4. *Lucerna impiorum peccatum*. Atque huiusmodi imprudentia est peccaminosa. Quia dissipat thesaurum spirituales gratias iuxta illud ibidem vers. 20. *Thesaurus desiderabilis, & oleum in habitaculo insti, & imprudens homo dissipat illud*. Huic autem imprudentiæ correspondet infidelitas, per quam quis liberè contrariatur fidei, & quam proinde, dictum est, esse peccatum. Malum porro imprudentiæ, sicut & infidelitatis, licet nemo possit velle directè, & formaliter, vult tamen peccator, idque sæpe, indirectè, ac implicite, sicut cætera mala, quæ necessariò consequuntur ad peccatum. Idem dicitur, sub simili distinctione de stultitia, necnon proportionaliter de præcepto eam vitandi.

Ad 7. Quod infidelitas hominis non prius fidelis soli seruetur vindictæ diuinæ, nec sit punibilis directè vlla humana potestate, non prouenit ex defectu, aut paruitate malitiæ in ipsa, ut patet ex punitione infidelitatis commissæ ab eo, qui prius fuit fidelis. Ratio itaque est, quia ad maiorem ostensionem veritatis fidei Christianæ, maioremque eiusdem fidei propagationem in cordibus hominum, & non solum extrinsecus per hypocrisim, plurimum confert, quod usque adeo magna pars generis humani, non humana vi cogente, sed solum gratia trahente diuinæ, ad Christum, & eius Euangelium mirabiliter conuersa est, & conuertitur. Nempe vnum ex præcipuis Christianæ fidei argumentis est ea tot hominum omnis generis, & tot vndique populorum spontanea conuersio ad ipsam, ut alibi ponderatum est cum Augustino. Quapropter vis coactiuæ humana, compellens inuitos ad exteriorē professionem fidei Christianæ, plus nocuisset, quàm profuisset ad propagationem veræ, ac sinceræ fidei interioris, ex qua descendit totum pretium, totaque utilitas exterioris. Impunitas aliorum peccatorum, ipsiusque idololatriæ apud homines, nulla eiusmodi utilitate, & conuenientia cōmendatur, ideoque nulla est paritatis ratio. Quod dicitur de grauitate peccati infidelitatis, infra opportuniùs discutietur. Nec enim quidquam conuincit aduersus solutionem datam, quod istud peccatum sit vitiumque graue.

Art. 1. Ad 8. Et ante, & post sufficientem, seu adequatam, atque actui fidei immediatè proximam propositionem credibilium, & rationis credendi, est possibile peccatum infidelitatis. Antè quidem, quia in ipso prædicationis, ac instructionis Euangelicæ exordio occurrere potest indicium præminens veritatis diuinæ irradiantis. Quo proinde contempto, ut fieri omnino potest, per negligentiam vltioris auditionis, ac attentionis, eo ipso per summum scelus contemnitur diuinitas, diuinumque magisterium, iam quadantenus transparent, & quasi à longè eoruscans. Completa vero vltimò propositione credibilium, contemni nihilominus, & prætermitti, ac reiici adhuc illa possunt, cum manifestiori, ac deteriori diuinitatis, diuinique magisterij contemptu. Quia verisimiliora, & credibilia simpliciter postponi liberè possunt verisimilioribus tantum secundum quid, qualia sunt documenta rationis naturalis, & puræ humanæ comparatione articulorum fidei. Quæ de re videnda est supra q. 27.

Art. 2. Quod additur de desiderio veritatis, ne multa hic inferam iam alibi declarata, conferri debet cum desiderio beatitudinis, & amicitie diuinæ, & eorum vniuersaliter omnium, quæ in eum finem perducere possunt. Hoc enim desiderium est maius in omnibus, ut per se patet. Et tamen meliora cum videant, probentque deteriora sequuntur plerique cum libera iactura eorum, quæ summè desiderant sub conceptu confuso, & vago. Quo itidem pacto salutem etiam corporalem sibi maximè charam corrumpunt plures propter delectationē longè minoris momenti.

E E e 3

Videri

Videri potest circa hoc punctum q. 12. de act. hum. nec non quæ infra dicuntur q. 49.

Ad 9. Verum est, infideles minimè omnium erubescere, ac verecundari saltem, ut plurimum, dum permanent in infidelitate. Primum quia plerique peccant inter plures erroris socios, qui sibi inuicem plaudunt, sicut multitudo prædonum, & populi rebelles, ideoque minime timent iacturam eatenus bonæ de se estimationis, in cuius iactura timore erubescencia, & verecundia consistit. Deinde, idque maxime, quia interea iudicant se vera sequi, atque ipsos Catholicos insanire iuxta illud Festi idololatæ propudiosi ad Apost. Act. 26. 24. *Insanis Paulus*, atque per contrarietatem huius insani iudicii impeditur alterum iudicium rectum, quod simul adest inuitabiliter, de credibilitate, & obligatione credendi Evangelio, quomodo indicat erubescencia, & verecundiam. Cæterum, cum respiciunt, & conuertuntur ad fidem catholicam, atque ita liberantur ab illa iudiciorum implicite sibi inuicem contradicentium fluctuatione reciproca, plurimum verecundantur de turpitudine præcedentis infidelitatis, sicut cæteri peccatores de aliis suis peccatis. Itaque infidelitas est inductiva per se, & erubescencia, & verecundia; licet utraque impediri possit per accidens ad eum ferè modum, quo impeditur in peccato, quod committitur per iudicium temerarium aduersus proximum, aut per idololatriam exteriorem coniunctam cum interiori, atque in hunc modum oportet, seu exponere, seu promovere speciosum illud argumentum Tertulliani iuxta utriusque mentem eiusdem in lib. de penitent. sub initium.

Ad 10. Conceditur, hanc iniuriam irrogari Deo à nemine posse, ut credatur esse falsum, aut reuocetur in dubium: quod ab eo dicitur, ex suppositione, quod credatur ab eo dici. Hoc enim punctum efficaciter concluditur in obiectione. Negatur tamen, peccatum infidelitatis, contemnens nefariè auctoritatem diuinam, committi non posse, & per negligentiam indagandi doctrinam diuinam, & per obstinationem negandi, aut in dubium reuocandi, eam esse diuinam, cum iam innouit clarè iudicium præminens Dei loquentis, ac instruensis, atque argumentum euidentis proximè ea de te credibilitatis similiter præminens modo superius explicato. Nempe quia pro tunc non est euidentius, Deum loqui, & est nihilominus manifesta temeritatis non credere, quod ipse loquatur; est ex vna parte physice possibile, simulque ex altera parte est illicitum, id negare, aut contemptum prætermittere sub dubio. Negatur itaque defectum assensus, quod quis loquatur semper tribui loquenti. Tribuitur enim soli audienti, quoties loquens, maxime verò Deus, qui habet rationem primæ regulæ veritatis, manifestis iudiciis reddidit proximè credibile, ac innegabile absque temeritate, quod ipse loquatur.

QVÆSTIO XLV.

Verum causa peccati infidelitatis sit voluntas?

IDEO non esse, sed intellectus. 1. Quia idem est subiectum, & causa actuum animæ, ut potè intrinsecè vitalium. Intellectus autem, & non voluntas, est subiectum infidelitatis. Fides enim, cui contrariatur infidelitas, subiectatur in intellectu, atque contrariariorum oportet idem esse subiectum.

2. Infidelitas consistit formaliter in dissensu diuinarum reuelationum, & eorum, quæ diuinitus reuelantur. Dissensus autem est actus intellectus, ac proinde idem intellectus est causa eius. Ergo causa infidelitatis est intellectus.

3. Fieri potest, ut voluntas sit expers omnis mali, simulque intellectus subit toti malo infidelitatis. Si enim articulus falsus proponatur tanquam reuelatus à Deo, nec audiens discernere illum valeat ab articulo vero, & re ipsa reuelato à Deo; voluntas poterit absque vlla culpa, immò etiam honestè, laudabiliter, ac meritorie imperare assensum illius, atque ideo voluntas, si de facto eum imperet, erit expers omnis mali; tamen intellectus subit assensui falso, & re ipsa contradicenti reuelationi diuinæ, in quo situm est totum malum infidelitatis. Vtralibet autem ex his potentiis est causa sui actus, ratione cuius bene habet, vel male, & neutra est causa actus, qui inest alteri potentiæ. Ergo.

4. Actus voluntatis circa fidem non est proprius virtutis theologicæ, cum non feratur ad Deum immediate ratione sui. Ergo nec actus eiusdem voluntatis circa infidelitatem est formaliter contrarius virtuti theologicæ. Peccatum autem infidelitatis est formaliter contrarium virtuti theologicæ. Quia formaliter opponitur fidei, quæ est virtus theologica. Ergo peccatum infidelitatis non consistit formaliter in actu voluntatis, cuius ipsa voluntas est causa; sed in actu intellectus, cuius utriusque causa est idem intellectus.

Art. 1. Respondetur. Hæc quæstio non videtur esse magni momenti, & magna saltem ex parte est de voce. Præmittendum est initio, in omni opere moralitè malo, seu peccaminoso, rationem peccati, & malitiæ moralis tribui voluntati, tanquam causæ. Quia voluntarietas, & libertas, quæ est de conceptu peccati, & malitiæ moralis, prouenit immediate à sola voluntate. At conuenientia, vel disconuenientia operis respectu naturæ rationalis, ob quam alteram præcipitur, vel consiluitur ipsum opus, ob alteram verò prohibetur, aliquando inest actui voluntatis directe, & tantum ratione sui, aliquando tantum indirectè, & ratione actus, seu operis alterius potentiæ particularis. Nempe: *alleges Dominum Deum tuum; diliges Proximum; spera in Domino*, solum actum voluntatis directe respiciunt, nec eo exhibitio quidquam aliud desideratur, ut satisfiat præcepto. At, *honorifica Patrem, non furaberis, non occides*, voluntati conueniunt propter opus, aut cessationem alterius potentiæ, quibus proinde non superadditis, ultra actum voluntatis, nondum intelligitur, satisfiat esse præcepto.

Art. 2. Huius posterioris generis est præceptum de fide, & prohibitio infidelitatis. Quia ultra actum voluntatis requiruntur actus intellectus conformis diuinis reuelationibus, & rebus aliis, prout reuelatis à Deo, necnon exclusio actus intellectus dissidentis diuinis reuelationibus, aliisque rebus, prout reuelatis à Deo, & tantum ratione horum actuum intellectus imponitur voluntati præceptum, tum affirmatiuum credendi Deo, tum negatiuum non discrepandi eidem. Quapropter infidelitas, quatenus est peccatum ratione generali correspondet formaliter voluntati, ut causæ, seu animæ quatenus volitiva formaliter est. At eadem infidelitas quoad vltimum suum complementum, & quoad id, quod directe, & ratione sui respicit lex, correspondet formaliter intellectui, ut causæ, seu animæ, quatenus intellectiva formaliter est.

Art. 3. Theologus autem primò, ac principaliter considerat infidelitatem, quatenus peccatum est. Quia sub hoc præcisè conceptu impedit consequentiam vltimi finis, in ordine ad quem considerat Theologia, quæcunque considerat. Neque quoad hoc, eodem proportionaliter modo, se habent fides, & infidelitas. Quia actus intellectus, quo creditur Deo, habet vim peculiarem dirigendi, ac promouendi voluntatem ad actus salutares, atque ad eisdem actibus exhibet immediate causalitatem specialem. At vis impeditiva eorundem actuum salutarium tota est penes actum voluntatis, quo negligitur, ac reicitur doctrina diuina, atque